



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatus De Superstitionibus, Contra Maleficia Sev Sortilegia Qvae Hodie vigent in orbe terrarum

Arles y Andosilla, Martin de

Romæ, 1559

Quod illi submersores imaginum & qui in coniuriis & inca[n]tationibus  
co[n]curru[n]t quotidie ad hos nigromanticos & ceteri in aiis similibus, si  
ex suis superstitionibus optineant optatu[m] ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29941**

TRACTATUS

Quod illi submersores imaginum  
& qui in coniuriis & incantationibus concurrunt  
quotidie ad hos nigromanticos & ceteri in aliis  
similibus, si ex suis superstitionibus optineant  
optatum effectum, à demone accipiunt, Deo  
permittente.

**E**X quibus omnibus etiam poterit  
quis inferre. Vnde illi superstitiosi  
submersores imaginum & reliquiarum  
& aliis similes credentes per similes  
actus indubitater pluuiam obtinere tem-  
pore necessitatis suum obtineant effectum  
quia à demone Deo permittente ad vin-  
dictam malefactorum & peruerse creduli-  
tatis illorum. Similiter vnde coniuria il-  
la nephanda que supra nominata sunt  
& alie superstitiose coniurationes; vt i-  
cere lapillos contra nubes in coniurati-  
one credentes per hoc repellere tempe-  
staté (vt fateor me vidisse quemdam sa-  
cerdotem sic facientem.) Effectus enim

si quando veniat non ex vi illius con-  
 iurationis superstitiosę euenit : sed ex  
 pacto dęmonis expresso vel subintellecto  
 cū causis prędictis Deo permittente vt di-  
 ctū est. Habent enim dęmones efficacias  
 magnas ad mutandū corpora & elemen-  
 ta : causare pluuiam : & alios effectus &  
 actiones aliquas mirabiles : vt scriptu-  
 ra sacra docet de magis pharaonis. Ex-  
 odi. vii. & viii. c. qui per virtutem dęmo-  
 nū veros serpentes & ranas fecerūt : vt  
 ponit sanctus Thomas. i. parte. q. cxiiii.  
 ar. iiii. in corpore. Hoc idem ponit su-  
 per Iob. c. i. Etiam possunt vere natu-  
 rales effectus producere : sed mediantibus  
 agentibus naturalibus vt idem do-  
 ctor tenet de potentia Dei. q. vi. ar. v. Si-  
 militer ex his haberi potest vnde hi qui  
 concūrūt his dibus sine vllo Dei timore  
 ad maleficos & diuinos istos pro recupe-  
 randis rebus perditis si contigat aliquan-  
 do reperiri : vnde hoc proueniat. Pos-  
 sunt enim Angeli mali quantū Dei pro-

TRACTATUS

uidentia permiserit agere multa similia  
 ad Angelos bonos tam ob subtilitatem  
 vigoremq; substantię suę quam hoc per  
 spicuitatem naturalis ingenii quam e-  
 tiam propter experientiam diuturnita-  
 tem. Nunc in naturalibus actionibus  
 sursum & deorsum in cælo & in terra  
 nunc in operationibus miraculosis An-  
 gelorum & omnium spirituum beato-  
 rum quamuis errent frequenter. Exce-  
 cat enim eos malicia amens, superbia fre-  
 mens, sine lege & ordine liuor insaniens.  
 Excecat etiam eos potissimum iustum  
 Dei iudicium illudens eis peruersionesq;  
 eorum & cogitatus aduersus  
 electos suos cōuer-  
 tens i vsum suę  
 bonitatis.

Quæ autem & quot nephanda isti  
 nigromantici committant in suis diuina-  
 tionibus referant stulti illi qui passim ad  
 illos concurrere non verentur.